Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2705
Quelle:
Copyright:

Ord. Minorum; legas enim *patrem nostrum beatum Franciscum.* In C. 6. *de passionis memoria* deficit.

VIII. *fol.* 262. *Incipit tractatus siue forma sermonum.* Initium: *Theologia est scientia pro naturato a naturante ad magnum quid edita.* Vel hinc liquet, quid ab hac sacri Oratoris Institutione praestolere. Agit illa de *Sermone*, *Themate*, *Commixtione*, *Discursu*, *Ampliacione*, *Articulatione*, *Membracione* &c. *Fol.* 270. tres voces requirit: *tacitam*, quando invocas et concludis, *mediocrem* per totum Sermonem, *altam* in allusionibus &c.

IX. *fol.* 274. *Copia Latinitatis.* Institutionem oratoriam grammatica excipit, dignum patella operculum. Ejus initium: *Notandum quod diuersa negotia non possunt exprimi nisi per diuersa verba* &c. Plagosi Orbilii commenta, ad quae olim infelix Pueritia sudare et algere coacta fuit. Sub finem ad *Viaticum* et *Poetriam novam* provocatur.

DCCXXXV.

767 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 400. 8. non una manu exaratus continet Apparatum *Homileticum* ad usus quondam saepe memorati *Wenc. Rossii Bohemi* Sacerdotis, qui *fol.* 45. p. 2. adlevit: *Wenceslaus Rossius scripsit Anno 1560. In nouo Anno. Ordinatus autem fuerat Italie mudone* (Mutinae) 1516. Initium: *In Aduentu. Hodie incipimus tempus nouum, quod est aduentus domini* &c. *Fol.* 307. p. 2. legitur: *In die Reliquiarum super Euangelium Sermo,* qui incipit: *Hodierna dies bohemice uocatur swatosti* (Sanctitates, nobis Heiligthümer vel Heilthümer, sed etiam Sacramenta) *quia olim in bohemia prage ostendebant diuersis nacionibus Crucem in qua saluator noster pependit, lanceam clauos. Sed hoc non uocantur uera sacramenta, quia sunt res mute, sine anima, non sunt capaces* pochopne *sanctitatis alicuius. Et ideo nos habemus alia sacramenta meliora utiliora gessinost* (essentialia) *sacramenta uera noua perfecta que de latere christi prodierunt, Scilicet baptismus et eucaristia* &c. Vide, ut Plebi eximat ἀμφιβολιαν τȣ *Swatost.* Ita vero passim in his *Sermonibus* utentium commodo rebus paullo reconditioribus adpellationes *Bohemicae* adjunguntur.

DCCXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 768
XV. Folior. 389. 8. non una manu exaratus continet Apparatum *Homileticum*, ut praecedens, ad eundem *Rossium* olim pertinentem. Initium hic ducitur a Sermone *de Sancto Andrea Apostolo. Hodie celebramus festum sancti Andree apostoli christi, de quo canit ecclesia, dilexit dominus Andream* &c. Ad calcem adscriptus est Elenchus eorum, qui a sacra Communione prohibentur, atque hos inter lingua Bohemica: *Swatokupczy*, id est Simoniaci, *Swatoku-*